

ut dicit Athanasius, et plenitudo deitatis est essentialis deitati.

XII. Postremo constat patres sub nomine naturæ, et non deitatis vel essentiæ quasi transcendentaliter sumptæ negare Personas seu relationes ad naturam Dei pertinere, sicut Damascenus, lib. III de fide, c. VI: « Characteristicæ, inquit, hypostases, non naturæ sunt. » Et Anselmus in monologio, cap. XIV: « Si quid, inquit, de summa natura dicitur relative, non est ejus significatum. » Quod intelligitur sub formalitate, et expressione conceptus naturæ: id enim intenditur in ly significatum: qua etiam ratione de attributis dixit Damascenus lib. I de fide, c. IV: « Si bonum, si justum, si quid tale dixeris, non naturam Dei dicis, sed quæ juxta naturam sunt. » Ubi ly naturam dicis, idem est ac formaliter explicas. Alioquin identice, et realiter negari non potest quod relatio, et Persona sit natura divina, definiente Concilio Lateranensi in c. Damnamus, quod quælibet trium Personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu natura divina.

XIII. Fundamentum utriusque conclusionis sumitur ex dictis. Nam primæ fundamentum est, quia formalis conceptus naturæ distinguitur a formali conceptu attributorum, et relationum, et præsupponitur natura ex ipsa formali ratione, et modo significandi ad personalitates: ergo repugnat quod Persona sit de formali conceptu naturæ, vel e contra. Consequentia patet, quia esse unum de formali conceptu alterius, nihil aliud est, quam ingredi, et pertinere ad illud quod formale est in conceptu proprio, et specifico talis rei. Illud autem est formale in conceptu naturæ, vel cujuscumque attributi, quod exprimitur in tali conceptu tamquam forma propria, seu formalis ratio illius attributi vel

naturæ: quod enim commune est aliis attributis vel naturæ, non est formale, et proprium talis conceptus, sed commune et præsuppositum, forma autem est quæ distinguit; et ideo illud dicitur formale, seu formaliter pertinere ad conceptum cujusque attributi, vel naturæ, in quo distinguitur ab alio attributo, vel a formalitate ipsius naturæ, aut a formali conceptu relationis, seu Personæ, et hoc est quod formaliter in eo conceptu exprimitur; sicut conceptus sapientiæ formaliter distinguitur a conceptu justitiæ, vel misericordiæ, etc. Antecedens vero manifeste constat, quia conceptus naturæ, et Personæ, seu attributorum ita se habent, quod natura consideratur sub conceptu naturæ, ut fundamentum, et radix attributorum, et operationum, et ut quid præsuppositum ad Personam, quia intelligitur ut aliquid terminabile per personalitatem tanquam per terminum: ergo explicat conceptum sub aliqua formali ratione distinctum a conceptu Personæ, et attributorum. Ergo Persona, et relatio non potest ingredi neque pertinere ad formalem conceptum talis naturæ. Repugnat enim sub ea formalitate ingredi conceptum, sub quo ab illo distinguitur. Distinguitur autem secundum formalem conceptum ab illo: ergo sub illa ratione non est de conceptu ejus.

Fundamentum secundæ conclusionis habet duas partes.

Prima est, quod essentia divina sub amplo, et quasi transcendentali conceptu entitatis divinæ, essentialiter includatur in relationibus tamquam intrinsecum, et entitativum prædicatum earum.

XIV. Secunda, quod relationes etiam includantur essentialiter, seu connectantur essentialiter ipsi essentiæ. Et prima pars constat, quia relationes illæ essentialiter sunt en-

tia increata: ergo essentialiter sunt essentia divina, et deitas. Patet consequentia, quia essentia divina, seu deitas, est ipsa ratio actus puri et esse divini, seu entis increati: ergo quod est essentialiter ens increatum, est essentialiter esse divinum: ergo Deus, seu deitas ipsa. Antecedens constat, quia relatio illa essentialiter est aliquod ens, et essentialiter est ens non creatum: ergo essentialiter est ens increatum. Unde est firmissima illa consequentia quam facit p. Suarez ubi supra lib. IV de Trinitate, c. VII, paternitas est Deus: ergo essentialiter Deus: ergo in suo essentiali conceptu includit deitatem. Prima consequentia patet, quia id quod est Deus, non potest esse Deus accidentaliter, tamquam accidens a se distinctum, cum non sit aliquid per compositionem, et per modum actus, et potentiæ, sed per summam identitatem actus puri: ergo per connexionem necessariam, et immutabilem, et tamquam omnino idem: ergo tamquam essentialiter connexum. Secunda vero consequentia etiam est manifesta, quia quod est essentialiter tale, in suo essentiali conceptu illud includit: ergo si essentialiter Pater est Deus, in suo essentiali conceptu Pater includit deitatem.

XV. Et hinc sumitur secundæ partis probatio, quia quidquid convenit Deo realiter, in et se, essentialiter illi convenit, ita quod hæc est legitima consequentia: Deus est justus aut sapiens: ergo essentialiter est sapiens, et justus: Deus est Pater: ergo essentialiter est Pater, quia quidquid Deus est essentialiter illi convenit formaliter, et a parte rei esse Patrem, et Filium, non minus quam esse justum aut æternum, ita quod hæc est vera secundum fidem: Deus est Pater, Deus est Filius, dicitur enim Joan. I: *Deus erat Verbum*, ergo Verbum, seu Pater essentialiter

ter Deo convenit. Minor est de fide, et consequentia est in darii. Major probatur. Quidquid Deo convenit in se, et formaliter increatum, et divinum est, et actus purus, quia, ut probavimus, essentia, seu esse divinum est essenziale Patri, et relationibus, et attributis; sed omne esse divinum et increatum est essenziale ipsi Deo, seu essentiæ divinæ in quantum ens divinum, seu esse divinum est: ergo paternitas et relationes, quæ essentialiter sunt entia divina, et esse divinum, essentialiter conveniunt divinitati, quia omne esse divinum est essenziale essentiæ divinæ.

Et confirmatur, quia Deo essentialiter convenit esse actum purum: ergo essentialiter convenit quidquid actus purus ex suo conceptu essentiali habet; sed ex essentiali conceptu actus puri convenit ei ad nihil esse in potentia, sed omnem perfectionem sibi convenire, et omne quod in ipso est: ergo ex vi sui essentialis conceptus est quidquid est, sed essentia divina, seu Deus actu est Pater, et Filius, et ad ejus perfectionem pertinet hoc mysterium, quod scilicet sit trinus in Personis, et non unam tantum Personam habeat, nec solum genus absolutum, sed etiam relativum: ergo essentialiter est ipsa relatio et ipsæ Personæ. Sed tamen cum includat tres Personas correlative oppositas, licet essentialiter essentia sit Persona, non tamen adæquate est quælibet Persona, quia ita est hæc Persona, quod etiam est alia; sicut ens licet transcendentaliter includat accidens, et substantiam, non tamen adæquate alterum, sed adæquate utrumque.

XVI. Unde patet auctores, qui primam partem hujus conclusionis concedunt, ut Suarez, et alii, et negant secundam, in consequenter loqui, quia per evidentem consequen-

tiam deducitur, quod si Persona essentialiter est Deus, et esse divinum necessario sequitur essentiam divinam seu deitatem essentialiter esse Personam, quia essentialiter est omne esse divinum, imo est quasi identica, esse divinum est esse divinum.

Respondent tamen oppositi auctores qui primam partem hujus conclusionis negant, quod licet a parte rei quælibet relatio sit divina, et quodlibet attributum sit essentialiter Deus, et non creatura, tamen sub illo statu præcisionis, quo consideratur secundum se, nec est divinum neque creatum, quia neutrum explicat, sed tantum suam formalem rationem exprimit: sicut homo secundum se nec est albus, nec est non albus, sed abstrahit; et magis ad rem homo, vel animal sub illo præciso conceptu, nec est quid productum, neque improductum, licet in re essentialiter quid creatum, et productum sit: et Spiritus sanctus sub formalitate processionis neque procedit ut creatura, nec ut Deus in quarto modo per se, licet in re, et in primo modo per se sit essentialiter Deus. Eodem modo relationes sub illo conceptu non includunt essentialiter naturam, licet in re essentialiter natura divina sint, et Deus sint.

XVII. Cæterum hæc responsio maxime indicat, quam in retortum et in vertiginem agatur opposita sententia vi argumenti oppressa. Etenim licet trita philosophia sit, quod res aliqua sub aliqua præcisione considerata, alia prædicata non explicat, quam quæ in illa præcisione explicantur, et ad illam per se conducunt, tamen etiam in omni philosophia est certum quod quando inquirimus an aliquod prædicatum essentialiter includatur, et pertineat ad aliquam rem, non procedimus cum præcisione, sed simpli-

ter ea quæ intrinsece cum tali re connexa sunt, explicamus, v. g. animal sub præcisa, et formali ratione animalis non explicat rationem corporis vel substantiæ, aut creaturæ, tamen si inquiramus an essentialiter includatur substantia in animali, ita quod essentialiter prædicetur de animali, et similiter ens creatum, quis poterit dubitare quod hæc sit essentialis prædicatio. Animal est substantia, est creatura, est corpus, quia ad hoc ut sit prædicatio essentialis, sufficit essentialis, seu intrinseca connexio extremorum. Cum ergo in hac secunda conclusione non procedamus sub præcisione, et appellatione formalis conceptus: id enim pertinet ad primam conclusionem, sed simpliciter an essentialiter in re prædicetur, et connectatur essentia cum Personis, et Personæ cum essentia, ita ut istæ prædicationes in re sint per se in primo modo: Deus est Pater, Pater est Deus, sicut si inquireremus an corpus, et substantia prædicentur in re essentialiter de animali, et nunc etiam inquirimus an paternitas sit prædicatum essentialiter deitatis, et deitas essentialiter de paternitate, ita ut essentialiter sint connexa, quid oportet divertere responsionem ad prædicationem factam de aliquo sub præcisione aliqua et appellatione?

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XVIII. Primo arguitur auctoritatibus tum sanctorum patrum, tum D. Thomæ qui plane videntur sentire nec relationes nec attributa esse de substantia divinitatis, nec ad ejus essentiam pertinere. Auctoritates ex patribus sunt. Augustinus in VII de Trinitate, c. II et IV, et super Psalmum xcviij, dicit: « Patrem alio esse Patrem, alio Deum, quia

quod est, ad se dicitur, Pater autem ad Filium dicitur. » Et similiter docet Verbum non eo esse sapientiam quo Verbum et idem est de essentia. Item in V de Trinitate, c. VI, docet relationes dici de Deo, non secundum substantiam, nec secundum accidens, sed ut ad aliquid: ergo de conceptu relationis non est substantia divina, neque de conceptu substantiæ relationes. Item Nazianzenus oratione XLIV, loquens de Personis: « Neque substantiam, inquit, secernunt, verum circa substantiam secernuntur. » Athanasius dialogo II de Trinitate contra Anomæum, inquit: « Generationem non esse quiddam essentialiter, » ergo non pertinet ad essentiam Dei. Isidorus VII etymolog. c. I: « Deum non esse essentialiter, quod relative ad quamcumque Personam est. » Damascenus lib. III de fide, c. VI: « Characteristicæ hypostaseos, non naturæ sunt. » Cyrillus Alexandrinus II thesauri, c. III, docet extrinsece se habere ad essentiam relationem qua distinguitur Persona. Anselmus in monologio, cap. XIV: « Si quid de summa natura dicitur relative, non est ejus significatum. »

Confirmatur ex D. Thoma qui in I, dist. XXXIV, q. I, art. I ad IV, expresse dicit quod: « De intellectu Personæ oportet esse aliquam rationem, scilicet relationem, quæ non est de intellectu essentiæ. » Et in I ad Annibaldum, dist. XXXIII, quæstione unica, art. IV, docet quod: « Proprietas ad essentiam se habet disparte, ad Personam autem se habet per modum formæ. » Quomodo ergo de conceptu essentiæ, et essentialiter prædicatur de illa, si disparte se habet? Adhuc urgentius in quæstione VIII de potentia art. II ad VI, dicit: « Hanc prædicationem non esse per se: essentia est paternitas: » ergo non est de conceptu essentiæ formaliter. Item in hac prima parte, q.

XXXIII, art. III ad I, inquit: « Quod communia absolute includuntur in intellectu propriorum, sed non e converso. In intellectu enim Personæ Patris intelligitur Deus, sed non convertitur. » Quid clarius potuit D. Thomas dicere contra secundam partem nostræ secundæ conclusionis?

Respondetur ad primam auctoritatem Augustini, quod illam expresse sibi objicit D. Thomas qu. VIII de potentia, art. II, in argumento XIV. Et respondet sanctus doctor ad XIV: « Dicendum quod Deus dicitur non eo Deus, quo Pater, propter diversum modum significandi divinitatis et paternitatis, ut expositum est. » Exposuerunt autem solutione ad IV, quod relationes divinæ licet significant id quod est divina essentia, non tamen per modum essentiæ, quia non per modum inexistentis, sed per modum se habentis ad aliud. Quare cum dicit Augustinus alio esse Patrem, alio Deum, intelligitur de alio ex parte modi significandi, non ex parte rei significatæ. Ex hac enim parte dicit Augustinus VII de Trinitate, c. VI, quod: « Cum dicimus Personam Patris, non aliud dicimus quam substantiam Patris. » Secundum locum Augustini eodem modo interpretatur S. Thomas loco citato ad XIII, et in hac quæstione, art. II ad I, utrobique enim illum sibi objecit, et solvit, dicendo quod relativa non dicuntur de Deo substantialiter, seu quoad substantiam ex parte modi significandi, quia non modo substantiæ significantur, ut per se, et ad se, sed modo relativo, ut ad alterum. Ex parte tamen rei significatæ substantia sunt. Eodem sensu accipe quoties apud aliquos patres audieris attributa Dei non significare substantiam, sed aliquid circa substantiam, ut apud Damascenum lib. I de fide, c. IV; Basilium lib. I contra Eunomium;

Nazianzenum orat. xxxviii, et xlii; Justinum q. iii gentil. et alios: intelliguntur enim non significare substantiam in modo significandi, non in ipsa re significata.

XIX. Ad locum Nazianzeni in argumento allatum, dicimus extrarem adduci: sensus enim ejus est planus, quod Personæ substantiam non secernunt, id est, non dividunt substantiam, sed circa ipsam secerantur, quia inter se distinguuntur, non ab ipsa substantia. Explicavit enim theologus vim illius nominis substantiæ, quæ tunc temporis controvertatur an significaret hypostasim, et sic multiplicaretur in Deo, an naturam, et sic non divideretur. Et ita in æquivocatione hujus nominis valde tunc laboratum est, propter Arianorum dolositatem illos simplices decipientium, ut, plures substantias in Deo concedendo, ipsi diversas naturas inferrent. Unde Nazianzenus recte dixit, substantiam non secerni per Personas, quia nomen naturæ est, nec illa per Personas dividitur. Sed hoc quid ad præsentem controversiam? Ad locum Athanasii dicitur generationem non esse aliquid essentialiale, quia est notionale: distinguimus enim notionalia ab essentialibus, non quia essentiali connexion de essentia non prædicentur, sed quia conceptu relativo dicuntur, et sunt propria Personarum, cum essentialia sint absoluta, et communia. Eadem est explicatio Isidori, scilicet Deum non esse essentialiter, quod relative est, quia relativum est notionale, non essentialiale; et sic distinguit essentialiter esse contra notionaliter esse, non tamen negat essentialiter convenire notionalibus, seu relativis id quod esse divini est. Ad Damascenum jam supra diximus quod hypostases non sunt naturæ sub conceptu naturæ proprio, et specifico, et secundum modum si-

gnificandi, quatenus natura significatur modo communicabili, hypostases modo incommunicabili, non tamen negat esse naturam, sumpta natura pro essentia, seu esse divino modo quasi transcendentali se habendo ad omnia, quæ in Deo sunt. Et sic sensus est quod characteristicæ in Deo, seu notionalia, non sunt naturæ, id est, non sub conceptu naturæ, sed ad hypostasim seu Personam pertinent. Ad Cyrillum dicitur relationem extrinsece se habere ad essentiam, tum ex parte modi significandi, quia non per modum essentiæ, sed extra illum significatur, tum quoad conceptum proprium, et specificum essentiæ in ratione naturæ, cui conceptui formaliter, et quoad sui expressionem extrinsece se habet relatio, licet in ratione conceptus transcendentalis, et entitatis increatæ intrinsece illam in se includat.

XX. Ad confirmationem ex variis locis D. Thomæ respondetur in primo loco, cum dicit relationem esse de intellectu Personæ, non de intellectu essentiæ, loqui de relatione ex parte modi significandi, non ex parte rei significatæ: et iterum loqui de essentia pro conceptu naturæ proprio, et specifico, ut natura est condistincta ab attributis, non de conceptu essentiæ pro omni esse divino, et actu puro. Et hinc etiam apparet quod quando D. Thomas in aliquo ex his locis docet relationem contraponi essentiæ, quod plus sonat, quam distingui ratione ab illa: nam attributa distinguuntur, et non contraponuntur: dicit enim ly contraponi esse oppositum; et sic videtur dicere quod in quantum contraponitur non est de conceptu ejus. Sed respondetur quod ly contraponi est ex parte modi significandi opponi, non ex parte rei significatæ; et sic solum sequitur quod ex modo significandi, scilicet substantia, ut

ad se, relatio ut non ad se, sed ad aliud contraponuntur in ly ad se, et non ad se absolute dici, et non absolute, licet ex parte rei significatæ non contraponantur. Vel secundo, relatio non est de conceptu essentiæ, tamquam prædicatum adæquatum, et conversibile cum ipsa, et ut constitutum essentialis rationis. Non tamen negat esse de conceptu essentiæ tamquam quid inadæquatum illi, si quidem essentia ita includit in se unam relationem, quod non excludit aliam: debet enim habere correlativum. Nec repugnat in uno conceptu essentiali dari unum prædicatum magis amplum de se, ut animal, aliud minus amplum, illique inadæquatum, scilicet rationale, licet in hoc non teneat exemplum, quia animal, ut est in homine singularizatum, et determinatum adæquatur rationali; ut autem abstrahit, et generice sumitur, non adæquatur illi, essentia autem divina in se singularis existens communis est tribus Personis. Unde habet privilegium rei universalis abstractæ, v. g. generis, ita quod essentialiter connectatur cum Personis, seu relationibus, nec tamen convertibiliter, sicut si daretur animal abstractum a parte rei, ut posuit Plato, identificaret sibi differentias específicas, nec tamen convertibiliter, et adæquate cum qualibet earum se haberet. Denique, relatio non ingreditur conceptum essentiæ ut prædicatum constituens, sed ut terminans; et sic essentialiter illi convenit tamquam modus, et terminus ejus. Sic autem intelligimus S. Thomam, quia ipse sic explicat in eodem loco, qui citatur distinctione xxxiv, hoc eodem exemplo universalis respectu inferiorum, licet cum differentia dicta. Et sic ponit non esse relationem de intellectu essentiæ quod nullo modo ab ipsa differt, quod est non esse de intelle-

ctu ejus per adæquationem, et per modum prædicati constitutivi, non modificativi, cum aliis locis supra relatis explicaverit essentialiter, et per se relationes prædicari de Deo.

XXI. Ad secundum locum ex quæstione viii de potentia, S. Thomas dicit hanc propositionem non esse per se: «Essentia est paternitas,» ex parte modi significandi, non ex parte rei significatæ: nam expresse concedit in hac prima parte, q. xxxix, art. vi ad ii, quod: «Tam ista est per se: Pater est Deus, quam ista: Deus est Pater.» Non est etiam per se, sumendo essentiam pro conceptu formali essentiæ, seu naturæ, ut distinguitur a conceptu formali attributorum, et Personarum, sub hac præcisione, et formalitate non est per se, quia non conducit, aut pertinet ad illam formalitatem, seu præcisionem conceptus, licet illi rei conceptæ per se connectatur, et de illa essentialiter prædicetur. Unde D. Thomas in illo eodem loco dicit quod: «Nec etiam essentia prædicatur per se de paternitate,» cum tamen relatio non habeat aliam essentiam quam divinam; et sic constat quod parificat semper D. Thomas has propositiones: Deus est Pater et Pater est Deus, vel essentia divina, quia utramque facit per se in hac quæstione xxxi, utramque non per se in qu. viii de potentia, quod est evidens signum locutum fuisse D. Thomam sub diversis considerationibus, in quæstione xxxix ex parte rei significatæ, in quæstione viii de potentia ex parte modi significandi, vel etiam secundum præcisionem, et formalitatem proprii conceptus quod satis indicat ibi sanctus doctor dum dicit: «Per se prædicari aliquid de aliquo quod prædicatur de eo secundum propriam rationem,» hoc est sub formalitate proprii conceptus.

XXII. Ad tertium locum responde-
tur, quod ibi negat D. Thomas pro-
pria esse de conceptu communium,
loquendo de conceptu sub formalitate,
et præcisione ejus quod est
commune, et ejus quod est proprium
non de conceptu absolute, et secun-
dum realitatem, et essentiam, ut
est in se. Et patet hoc, quia loquitur
de communibus, et propriis secun-
dum ordinem intellectus nostri, qui
utique non ponit ordinem, id est,
prius, et posterius in istis concepti-
bus nisi quatenus unumquodque
intelligit secundum propriam for-
malitatem, et præcisionem, acci-
piendo naturam sub conceptu natu-
ræ, et attributum sub conceptu pro-
prietatis, et relationem sub concep-
tu terminantis, etc. sic enim ea quæ
sunt priora sunt de conceptu poste-
riorum, et communium, quia essen-
tialiter illa præsupponunt secun-
dum suos formales conceptus, sed
non e converso posteriora non sup-
ponunt priora; et sic non sunt de
conceptu illorum, qua etiam ratione
in ipsis prædicans absolutis potest
id reperiri, quia voluntas essentialiter
supponit intellectum, seu intel-
lectivam naturam, non e converso,
et æternitas supponit immutabilitatem,
non e converso. Itaque atten-
dendo ad ordinem intellectus nos-
tri, et loquendo sub hac formalitate,
quatenus ponit ordinem in istis con-
ceptibus, communia sunt de intel-
lectu priorum, non e converso.
Et sic idem est dicere, quod intelli-
gitur in conceptu Personæ patris
Deus, ac dicere quod præintelligi-
tur, seu præsupponitur ad concep-
tum Patris sicut animal ad concep-
tum hominis. Et hoc deducitur ex
illis verbis S. Thomæ initio illius
solutionis ad primum, quod commu-
nia absolute dicta secundum ordi-
nem intellectus nostri sunt priora
quam propria. Si ergo secundum ordi-
nem intellectus nostri procedit

etiam inclusio in intellectu pro-
priorum, est secundum illum ordi-
nem, et prioritatem, id est, præ-
suppositive includuntur, non e con-
verso. Potest etiam dici quod com-
munia includuntur, et sunt de intel-
lectu priorum, non solum præsup-
positive, sed etiam formaliter,
quia absoluta, et communia
sunt constitutiva priorum, et si-
militer propria non sunt de intellec-
tu communium, sicut Persona Pa-
tris non intelligitur in conceptu
Dei, scilicet adæquate, et converti-
biliter cum ipso, aut tamquam con-
stitutivum naturæ Dei bene tamen
inadæquate, et tamquam modus seu
terminus divinæ essentiæ, ut expli-
catum est.

XXIII. Secundo arguitur ex patre
Suarez ratione quæ ipsi videtur evi-
dens. Quidquid est de essentia Dei,
est de essentia singularum Perso-
narum illisque communicatur, sed
tres relationes non sunt de essentia
singularum Personarum, quin po-
tius una Persona opponitur, et non
communicatur alteri : ergo non
sunt de essentia Dei. Major probatur,
tum quia singulæ Personæ sunt
verus Deus : ergo quidquid essentia-
liter convenit, et prædicatur de Deo,
convenit Personis ; tum quia in Con-
cilio Lateranensi, c. Damnamus, et in
Florentino, dicitur Patrem communi-
casse Filio totam essentiam, non ve-
ro hoc quod est esse Patrem : ergo
paternitas non potest pertinere ad
conceptum et constitutionem essen-
tiæ, quia sine paternitate invenitur,
et communicatur tota essentia. Mi-
nor autem manifesta est, quia una
Persona, et una relatio non est alia:
ergo non est de conceptu, et essen-
tia alterius, si quidem ei opponi-
tur.

Confirmatur. In illo priori origi-
nis quo Pater intelligitur constitu-
tus, et potens generare, et nondum
intelligitur Filius generatus, intel-

ligitur tota, et integra, et perfecta
divinitas, et tamen non omnes rela-
tiones, et Personæ ibi intelliguntur :
ergo non omnes relationes sunt de
essentia, et conceptu divinitatis,
etiam inadæquate. Consequentia est
certa, quia tunc nondum intelli-
gitur Filius, et intelligitur essentia
plene, et perfecte : ergo filiatio non
intra constitutionem, et plenitudi-
nem istius essentiæ. Antecedens ve-
ro probatur, quia in illo priori intelli-
gitur in Patre totum, quod potest com-
municare Filio ex vi generationis :
communicat autem totam essentiam
plenam, et perfectam : ergo tota es-
sentia pro illo priori plene constitu-
ta, et essentialiter intelligitur, nec
tamen intelligitur tunc filiatio.

Confirmatur secundo, quia essen-
tia est una, et simplex, nec in ra-
tione essentiæ ullam distinctionem
admittit, relationes autem distinc-
tionem admittunt; similiter essentia
est absoluta, et constituitur abso-
lute : ergo relationes non possunt
pertinere ad constitutivum essentiæ:
ergo neque de ejus essentiali con-
ceptu esse. Et in hoc fundatur ar-
gumentum quod communiter solet
fieri, quia tota essentia communica-
tur Filio, et non communicatur pa-
ternitas : ergo paternitas non est de
conceptu, et essentiali constitutione
essentiæ.

Denique, quia si relationes essent
de conceptu essentiæ, non posset
unum præscindere ab alia sicut con-
ceptus hominis non præscindit a ra-
tionali, quia est de essentiali ratio-
ne hominis; at conceptus essentiæ
præscindit a relatione, et e contra :
ergo unum non est de conceptu al-
terius, alias omnia essent in Deo
formaliter idem, et non solum iden-
tice, si unum esset de formali, et
essentiali conceptu alterius.

Respondetur argumentum illud
quod Suarez videtur evidens, et
plane sophisticum, et peccare mu-

tando quid, in ad aliquid, quod S.
Thomas vocat fallaciam accidentis
in divinis. Igitur distinguenda est
major. Quidquid est de essentia Dei,
est de essentia singularum Perso-
narum, distinguo; quidquid est de
essentia Dei tamquam quid, seu per
modum quidditatis, concedo : hoc
enim commune est omnibus Perso-
nis; quidquid est de essentia Dei
tamquam modus, tamquam ad ali-
quid quod est modus inadæquatus
(quælibet enim relatio non adæquat
totam essentiam, cum debeat in illa
dare locum suo correlativo) nego.
Et sicut est sophisticum argumen-
tum quod formant hæretici : Quid-
quid entitative, seu realiter est Deus,
aut essentia Dei, est in qualibet
Persona, v. g. in Patre : sed filiatio
est realiter, seu entitative essentia
Dei : ergo filiatio est Patre; in quo
sophismate, evidenter mutatur quid
in ad aliquid, et major neganda est
absolute, aut distinguenda : quid-
quid entitative est essentia divina per
modum quidditatis, est in Patre, ve-
rum est; quidquid est essentia di-
vina per modum relationis, seu ad
aliquid, nego. Prorsus idem pecca-
tum invenies in argumento Suarez,
solum mutando illum terminum en-
titative, et realiter in illum termi-
num essentialiter, et dicendo : Quid-
quid est essentialiter Deus, seu de
essentia Dei, est in qualibet Perso-
na, v. g. in Patre, filiatio est essen-
tialiter Deus, seu de essentia Dei :
ergo est in Patre. Posse autem loco
illius termini entitative poni ly es-
sentialiter, et sic utrumque sophis-
ma eodem pede claudicare constat,
quia Deus quidquid est, essentialiter
est : sicut enim ipse Suarez con-
cedit supra capite septimo, quod ista
est bona consequentia : Pater est
Deus : ergo est essentialiter Deus :
similiter ergo ista erit bona : Deus
est Pater : ergo essentialiter est Pa-
ter : quidquid enim Deus est, essen-